

Coronidis loco quaeritur

I.

*Cur Astronomi Eccentricos velearum loco
Epicyclos in Concentricis excogita-
verint?*

FActum id potissimum est duabus de causis: prima est, propter motus stellarum inæqualitatem & apparentes anomalias. Etsi enim motus ipsarum in se & suâ naturâ regularis omninò & æqualis sit, quippe qui in materia mutationibus elementaribus non obnoxia, sed æterna & nobilissima accidit: quia tamen nobis jam velocior, jam tardior apparet h.e. uno eodemque temporis intervallo modò majorem, modò minorem circumferentiæ suæ partem nobis absolutam ostendit; id autem simpliciter considerando, naturæ videatur contrarium, necessum fuit pro salvanda talis motus irregularitate Eccentricos invenisse. Secunda causa fuit, quia stellæ jam viciniore, jam terræ remotiores videntur, quod fieri haud potest nisi per motum orbis, qui aliud centrum à centro mundi habeat, qualis est Eccentricus & Epicycclus.

II.

*Vnde probetur, stellas terræ modò esse
viciniore, modò ab eadem remo-
tiores?*

Planetæ jam à terrâ remotiores, jam eidem propinquiores esse duæ præsertim ostendunt rationes: Prima est varia ipsorum magnitudinis apparentia circa Ortum & Occasum, omnibus remotis impedimentis. Quæ enim proximiora sunt, majora apparent. Secunda est propter